QVAESTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX. DECEMB. M. IACOBO THEVART DOCTORE MEDICO MODERATORE.

705

An Rheumatismo venæ sectio?

VT res naturales sui conseruationem per similia, sic res παρὰ φύσιν depulsionem per contraria postulant. Indicatio θεραπευτικὴ soli debetur præter naturam affectui; cuius species & magnitudo, remedij genus, & quantitatem insinuat, per quam Medicina βιωφελεστάτη conjecturalis euadit, æque ac per similitudines morborum dissimilium; quæ non secus quam herbarum germina in prima ἐκβολῇ peritioribus imponunt. Sic Colicus dolor nephritidem non rarò ementitur; Hepatitis pleuritidem; Rheumatismus arthriticos, & venereos cruciatus; catarrhum, homini magis quam brutis familiarem, & vlcerosam ac phlegmonodem lassitudinem, morborum πρόδρομον. In omnibus ἔθος κάλλιστον διδασκαλῶν. Ignoto morbo remedia nè adhibeas: natura optimâ victus lege vel morbum patefaciet, vel profligabit. Ægrorum alia viuendi ratio, sanorum alia: Cùm non minùs noceant brutorum alimenta sanis, quàm ægris cibi bene valentium. Auxilia, quibus morbi depelluntur, ἀδιάφορα, Herophilo tam venena esse possunt, quam auxiliares Deorum manus: plus in eis artis est quam naturæ. Eorum duo præcipua genera, catharsis, & phlebotomia; quorum illa cacochymiæ mediocri, velut consummatæ epicrasis cõuenit: hæc priori potior acutis morbis, inflammationibus, & doloribus.

CAVE topica vniuersalibus, composita simplicibus, validiora blandis, anteponas. Sat citò, si tutò & jucundè. Quæ diæta, & pharmacia non sanant, chirurgia, Medici dextra, ferro, ignibus, rescindit & domat. Multa in ancipiti periculo fiunt, aliâs omittenda. In exostosi (quæ non semper est à lue venereâ) cùm victus ratio, & præsidia non profuêre blandiora, licet ad ferrum candens confugere: præstat anceps & doloris plenum auxilium experiri, quàm nullum. In morbo quid esse grauius potest metu mortis, voluptatum intermissione, doloris, ab ægritudine inducti, vehementiâ? Nemo penè se sentit ægrotare quàm per dolorem, cujus, natura nostri amantissima, tantam rationem habuit, vt eum aut tolerabilẽ faceret, aut breuem. Nullus potest valdè dolere, & diu; cùm vehemens est hoc πάθος, vel macerrimas corporis partes occupat, vel neruis insistit, vel in articulis firmatur, quibus narcoticorum vsus nocet; emulceri debet anodynis: quorum ea præferũtur quæ morbi causam auferunt: dein quæ calori blando, & halituoso sunt εὐπρόσφυτα. Aliàs, si quid aliud, virium robur infringit, sanguinem inflammat, spiritus accendit, bilem acuit, humores omnes exagitat, noctu tamen magis quam interdiu, quo tempore grauior esse consueuit.

SI alibi vsquam dolor ægros fatigat, maximè in Rheumatismo, qui est totius corporis, præsertimq; externi, artuum, articulorumq; ἀπόστασις, cum dolore ὀστεοκόπῳ, & molesto caloris grauitatisq; sensu. Fit acer hic effectus, Galeno cognitus, cùm partes internæ venæ, & arteriæ sese in externas, & in genus musculosum, per ναυτίωσιν quandam, exonerant: licet non rarò internæ quoq; corporis partes, vt intestina, vterus, pulmo, ῥευματικὰς διαθέσεις experiantur. Caput hujus mali fons, vt & omnis arthritidis, falsò habetur: viscerum maximéq; hepatis vbi est sanguinis officina, calidior intemperies, αἱμαδάπετον & ἰχωροειδὲς generans id fouet. Sæpè ratione seri (quod Dijs erat pro sanguine apud Homerum) humores procul à suo foco grauissima concitant symmptomata. Cùm omnes, aut plures articulos desultorio quodam modo impetit, Rheumatismum creat: Cùm in hunc vel illum articulum insilit, præsente partis imbecillitate, quæ non sola est reducis paroxysmi causa, arthritidem μισόπλωχον, Veneris & Bacchi filiam, mulieribus, eunuchis, & pueris odiosam mouet. Nonnunquam, velut imperfectâ crisi, in longis morbis, vt quartanis febribus, morbificus humor, futura sudoris materia, motus & non promotus, mediisq; quasi membranosis viis subsistens, tantorum cruciatuum est author.

IN hanc affectionem prona sunt corpora plethorica, aut valde cacochyma, febribus obnoxia synochis putridis; non minus quam mulieres, vel hæmorragiæ solis hominibus concessæ. Illi tamen febris, ab acutis omnibus inseparabilis, nec assidua comes est, nec manifesta, non accẽso πυρετώδως sanguine: aliis superueniens morbis, vt apoplexiæ, & tetano periculum minuit. Nec in ea licet, vt in illis, aut nouare aut febrem accendere. Circunspecti hominis est interdum malum malo leuare: Est aliquod remedij genus sanitatem morbo debere: nec potest esse ingrata curatio cujus salutaris est effectus. In dolorum acerbitate sanguis impurus ferè detrahitur; quo impurior non audentiùs vena tundenda. Morbi magnitudo ex affectus essentiâ, læsæ partis præstantiâ, ac symptomatum vehementiâ deprehendenda; viriumq; robur ex principum partium integritate, huiusq; cum morbo collatione dignoscendum, primariæ sunt venæ sectionis ἐνδείξεις: habito semper ætatis, sexus, regionis, diætæ, consuetudinis, temperiei discrimine. Neq; deridendi sunt qui primam venæ sectionem, vt in primis salutarem, quasi venerantur, seruantq; in extremos vsus valde profuturam.

MAXIMAM sanationis partem conplet morbi, causarumq; cognitio. Insanabiles tamen morbos non vincit Medicina: aliis etiam datur ad remedia, aliis ad leuamentum. In hoc affectu curationis ijdem canones, qui in synocho putri, aut lassitudine phlegmonosâ; alteratio, & euacuatio. Iusculorum frequens vsus, ptisana, oxycratum; an non & zythum in potu? aluus sæpè enematis sollicitanda, cathartica vitanda; cassiam tamen & confectionem vniuersalem non omnino improbamus. Nihil æq; pernitiosum ac immatura Medicina: paregoricis malo blandimur, metasyncritica, & apocroustica damnamus. Vsu ligni sancti, schinæ, & sudatoriorum omnia recrudescunt. Spes omnis in venæ sectione posita: quæ vacuando, reuellendo, deriuando, refrigerando est ἡγεμονικόν. Cornicula frequentia, hirudines habitui corporis admotæ conferunt: vt hæmorrhagia, &, qui non semper contra naturam est sudor bonis ægri rebus, & cum εὐφορία; cum quâ nunquam dysenteria superuenit. Tandem vrina crassa, & multa, vt quæ ab abscessibus liberet, & maximè in febribus laboriosis, à periculo asserit.

Ergo Rheumatismo venæ sectio. 152

Proponebat Lutetiæ IOANNES VACHEROT, Parisinus. Anno R.S.H. M. DC. XXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Guido Patin.
M. Jacobus Theuart, Præses.
M. Robertus Tulouë.

M. Anthonius le Rat.
M. Dionysius le Soubz.
M. Bartholomæus Barallys.

M. Petrus le Conte.
M. Guillelmus de Vailly.
M. Claudius Geruais.